

tum est ex carne caro est: et quod natum est ex spiritu spiritus est. Aliquando accidit hoc ex parentum carnalium improbitate qui filios suos in religione ponunt ut ab eis se expediant: potius intendunt corporalem eorum provisionem quam eorum salutem.

**¶** Sequitur in regula.

**¶** Ergo si veniens perseverauerit pulsans et illatas sibi iniurias et difficultatem ingressus post quattuor aut quinque dies visus fuerit patienter portare persistere petitioni sue: annuatur ei ingressus. et sit in cella hospitum paucis diebus. Postea autem sit in cella novitiorum ubi meditetur et māducet et dormiat. Et senior ei talis deputeetur qui aptus sit ad lucrandas aias: qui super eum omnino curiose intendat: et sollicitus sit si vere deus querat si sollicitus est ad opus dei: ad obedientiam: ad opprobria. Pre dicent ei dura et aspera pro que itur ad deum. Et si permiserit de stabilitate sua perseverantiam: post duorum mensium circulum legatur ei hec regula per ordinem. et dicatur ei: Ecce lex sub qua militare vis. Si potes observare ingredi: si vero non potes liber discede. Si adhuc steterit tunc ducatur in supradictam cellam novitiorum: et iteque probeatur in omni patientia: et post sex mensium circulum relegatur ei regula: ut sciat ad quod ingreditur.

**¶** Tracta. D. car. cxv. de probatione suscipiendorum fratrum ubi reprehenduntur qui temere profitentur.



**E**rgo si veniens perseverauerit pulsans et illatas sibi iniurias et difficultatem ingressus post quattuor aut quinque dies visus fuerit patienter porta-

re et persistere petitioni sue: annuatur ei ingressus: et sit in cella hospitum paucis diebus. Ubi considerandum quod hospitarius probationis causa potest ei qui recipi petit dicere aliqua verba que impatientius animos cito possent provocare et commovere. Ut pote frater quid scimus an tu sis servilis conditionis: an apostata alterius religionis: an latrocinium siue furtum commiseris et timore pene ad nos nunc confugas? Preterea dubitamus quod parva tentatio te cito deiceret a bono proposito quod nunc videris habere: et velut levis palea ventilaberis de claustris. Ceterum videris impotens ad supportandam onera gravia religionis: hec et similia potest ei dicere. Notandum est hic quod hoc sancti patris probationis mandatum sumptum est ex institutis sanctorum patrum. Unde libro quarto institutionum monachorum de hac probationis forma quidam sanctus pater cuiusdam hoc modo probato ait: Mosti quot diebus pre foribus excubans hodie sis susceptus. Cuius difficultatis causas primitus debemus agnoscere: poterit enim tibi in hac via quam ingredi concupiscis multum conferre si ratione eius agnita ad servitium christi consequenter ac sicut oportet accesseris. Sicut enim immensa gloria servientibus deo ac secundum institutionis huiusmodi regulam ei coherentibus repromittitur in futurum: Ita pene gravissime preparantur his qui tepide et negligenter fuerint executi et hoc quod professi sunt vel quod ab omnibus esse creduntur fructus etiam congruos sanctitatis eidem exhibere neglexerunt. Melius enim est secundum scripturam sententiam non vouere: quam vouere et non reddere. Et maledictus qui facit opus dei negligenter. Ideo igitur a nobis diutissime refutatus es: non quia tua vel omnium salutem non toto desiderio cupiamus amplecti et his quod christum converti cupiunt etiam procul occurrere non optemus: sed ne temere recipientes et nos apud deum levitatis et te reus gravioris oneris ac supplicii faceremus si ad presens facile susceptus nec pondus huiusmodi professionis intelligens: vel destitutor post hoc vel tepidus extitisses. Sequitur (Postea autem sit in cella novitiorum ubi

Hospitarius potest esse causa probationis novitio.

Non quare probentur novitii ante ingressum secundum patrum instituta.

Nota de institutore novitiorum.

Novitiorum probatio.

Dino probandi sunt.